

















1677.

17. Simon, Joh. Georg: De amore venerato.
18. Simon, Joh. Georg: De justitia hominis circa conscientiam.
19. Simon, Joh. Georg: Sicilimenta postliminaria.
20. Spitz, Felix: De oppignoratione jurium.
- 21<sup>te</sup> Spitz, Felix: De substitutione exemplari.
22. Spitz, Felix: De oratione XV<sup>ta</sup> seu tabulis novis.
23. Spitz, Felix: De tutela confirmata.
- 24<sup>te</sup> Struvius, Georgius Adamus: De requisitis status  
imperii Romano-Germanici.
25. Struve, Georg Adamus: De fidei commissis.
26. Struve, Georgius Adamus: De dedicationibus tem-  
plorum et altarium.
27. Tillemannus, Burchardus Henricus: De alienatione et  
prophanatione bonorum ecclesiasticorum.











18.





1816

1677, 23

~~11~~

8

1

DISPUTATIO JURIDICA

DE

# TUTELA

CONFIRMATA,

*Quam*

Auspicante DEO Ter Opt. Maxumo,

MAGNIFICO ICTORUM COLLEGIO  
CONSENTIENTE,

IN CELEBERRIMA SALANA

PRÆSIDE

## FELICE Spizen

J. U. D. Consiliar. & Commisar. Provincial.

Saxo - Jenensi,

*publico eruditorum examini submittit*

### JOACHIM ERHARD Rothkäppel

Wonsideliâ Variscus,

RESPONDENS

IN AUDITORIO ICTORUM,

ad diem 7. April.

A. O. R. M. DC. LXXVII.

---

J E N Æ,

TYPIS JOH. JACOBI BAUHOFERL





DISPUTATIO JURIDICA

TUTELLA

DEO

ET

COGNATIS.

JOACHIM ERHARD SCHÖPPEL

Wundel's Verlag

IN AUDITORIO ICTORUM

A. O. R. M. DC. LXXXVII  
ad diem 2. April.

J. E. N. A.  
TYPIS JOH. JACOBI BARTHOLERI







DISPUTATIONIS

DE

TUTELA CONFIRMATA  
INTROITUS.

I.



*T*utela divisio in *Testamentariam*,  
*Legitimam*, & *Dativam* ex l. 52.  
*C. de Episc. & Cler. & l. 5. C. de Auth. praeſtan.* no-  
tior est, quam ut hinc pluribus repeti debeat.  
Major dubitatio orta est, num praeter istam  
vulgarem divisionem, alia in jure repe-  
riantur genera? Quod quemadmodum a

multis, haud mediocri eruditionis viris asertum; ita contra  
fuere, qui hanc divisionem plenissimam, & ex perfectis judi-  
caverunt.

II. Singula hinc enumerare, quae prolixè ab Auctoribus  
circa hanc rem proferuntur disceptanturque, praesertim cum  
modò anomolam, modò simplicè, modo permissivam, modò  
alias species superioribus addere satagunt; Vid. Paul. Montan:  
*tract. absolutiss. de tutela & Curatela c. 7. n. 45. & seqq.* & Colleg: Ar-  
gent. *Lib. 26. tit. 1. §. 6.* nec utile foret, nec ex nostro instituto.  
Saltim de confirmata non-in praesens- nulla verba facere ani-  
mus est. Quod ut prosperè fluat, faxit perennis, aeternusque  
bonorum omnium fons, humani generis sanctissimus Sator  
& Tutor!





CAPUT I.  
Exponit definitionem Nominis  
& Rei.

I.

**T**utela dicitur à verbo *tueri* s. *tutari*, quod per inspectionem defendere significat, veluti apud Scriptores Latinos passim videmus. Sic Tacitus, cujus auctoritate sola, hâc vice, contenti sumus, *Lib. 4. Histor. c. 48. Legio in Africa auxiliaque tutandis Imperii finibus, sub Divo Augusto Tyberioque Principibus, Proconsuli parebat.* Adde Hug. Grot. *Flor. spars. ad. Inst. tit. de Tut.* Sumitur interdum pro cujuscunque generis defensione, sensu prorsus alieno, ut *l. 3. ff. de F. & F. l. 30. ff. de legat. 2. l. 1. §. 2. ff. de cloac.* Hoc modo *tutelam Imperii* dixit Vellej. *Paterc. Lib. 2. cap. 105.* Interdum, significatione nobis propinquiore *curam* continet, *l. 101. §. 2. ff. de condit. & demonstr. l. 5. C. de curat. furios. l. 1. ff. de minor.* D. B. Carpz. *Jurispr. Forens. p. 2. const. 11. defn. 10. n. 6.* Quo sensu iterum aut *quasi contractum* denotat. *l. 23. ff. de R. I.* aut auctoritatem facultatemque alterius mores & actus gubernandi, quâ Servio *vis ac potestas dicitur, in capite libero ad tuendum eum &c.*

II. CONFIRMATA quod dicatur, indè est, quod per se non subsistat; A se, ut se, nullam vim, efficaciam & effectum habeat, nisi aliunde accipiat. Est enim confirmare hoc in loco, actui suâ natura invalido, validitatem & robur addere, quemadmodum infra latius ostendimus.

III. Sed ut in fronte statim adpareat, quid acturi simus, placet hîc totius rei brevem delineationem Benevolo Lectori exhibere. Definimus igitur, quod sit tutelæ non jure  
(ille-



(illegitimè) datæ, sed à testatore saltim indicatæ, à Magistratu in favorem dantis, per decretum facta integratio & corroboratio, ut indicatus in testamento tutor, ex tempore decreti seu confirmationis, habeat vim ac potestatem tuendi eum, qui per ætatem se ipsum defendere nequit. *Vel* quod sit vis ac potestas, quam tutori, non jure in testamento dato, sed designato tantùm, intuitu dantis, Magistratus sua auctoritate stabilit, integrat & confirmat, ut ex die confirmationis interpositæ, incipiat jure tutor esse & ad administrationem habilis. Majorem lucem huic descriptioni dabit sequens tractatio, cujus ordo talis erit. Primùm videbimus confirmationis causas. Deindè personas confirmantes: Mox confirmationem ipsam; Porro effectus: & ultimò subjiciemus contraria.

## CAP. II.

### Ob quas causas confirmatio necessaria sit.

I.

**L**icet hominibus in multis liberum agendi disponendive sit arbitrium, ita ut sine legis adjutorio unum vel alterum negotium ad finem perducere possint; Sunt tamen infinita etiam alia, quæ Lex certâ formâ, ratione, ac modò fieri jubet, quibus non servatis, actus jure minimè subsistit: In quorum numero locum sortitur & hæc nostra tutela.

II. Soli patri **JURE** licet testamento tutorem liberis impuberibus in potestate constitutis dare. Liberis inquam

A 3

im-



impuberibus, tam masculini sexus quam foeminini; Quamquam enim olim ex Græcorum more, de quo Cicero in orat. pro L. Flacco, & Demosten. in Orat. adversus Neeram, foeminis etiam puberibus tutores dati fuerint, idque tum propter consilii infirmitatem, tum propter forensium rerum ignorantiam. Ulpian. tit. ii. §. 4. 25. & 27. Boëth. Lib. 2. Topic. Ciceron. qui illo loco, mulieres, scribit, perpetua tutela jure antiquo contineri. Quæ tutela pro diversitate temporum varias habuit appellationes; inter quas, *cessa*, *cessica*, s. *cessitia* tutela valdè celebris fuit, de quâ apud dict. Ulpian. tit. ii. §. 7. & 6. quæ inde ita dicta; quoniam tutores foeminarum legitimi, finito pubertatis spatio, eam aliis in jure cedere poterant. Cujac. paratit. Cod. Lib. 5. tit. 30. Illa tamen (sicuti & aliæ species de quibus Paul. Montan. loco supra adducto) postea fuit sublata, per L. Claudiam, quam refert d. t. ii. §. 8. Ulpian. de cujus lectione consulas Rævardum. Lib. 1. Varior. cap. 10. Cujac. d. l. Anton. Augustin. de LL. & Sc.

III. Hanc autem facultatem ipsi Patri ex LL. XII. Tab. competere, non ignoti juris est. Verba legis adducit Ulpian. Instit. tit. XI. §. 14. UTI. LEGASSIT. SUPER. PEQUINIA. TOTELAVE. SOUÆ. REI. ITA. JOUS. ESTO. Vel, ut plenius eam profert scriptor Rhetoricorum ad Herennium. Lib. 1. & Cic. Lib. 2. de Inventiono; PATER FAMILIAS. UTEI. SOPER. FAMILIA PEQUINIAQVE. SOUA. LEGASSIT. ITA. JOUS. ESTOD. quam paulò immutatam verba, non rem ipsam, adducit Pomp. l. verbis. 120. de V. S. simulque sensum horum verborum explicat. V. Fulv. Ursin. in Not. ad LL. XII. Tab. tab. V. Jacob. Gothofr. in Font. Juris Civil.

IV. Cæterum hæc facultas inter effectus patriæ potestatis recensenda est. Exindè tamen minimè cum Hottomanno

no



no ad §. 3. *Inst. de tut.* credas, quod patria potestas, post mortis tempora se extendat, & quasi in tutore dato vim suam exerat adhuc, quod rectè observat Bachov. *in Comment. ad Inst. d. §. 3.*

V. Concessa vero est hæc potestas patri non simpliciter, sed sub certo modo & forma. Nimirum ne aliter tutorem designet, quàm in testamento, juxta verba legis. UTI LEGASIT. sub quo vocabulo testamentum quoq; intelligitur. *Vid. egregiè Magnif. D. Schilterus Consil. Aula Saxon. splendidissimus. Exerc. Theoret. pract. 2. tb. 14.*

VI. Testamentum vero intelligimus justum, & juris auctoritate conditum. *l. 2. §. 1. ff. testam. quemad. aperian.* quod vel tribus verbis constare potest Cujac. *ad Affr. sive scriptum illud sit s. nuncupativum. r. r. Inst. de testam. ordin. §. 14. eod. Solenne s. minus solenne: quale olim fuit militare, l. impub. 40. in fin. de admin. tut. hodieque judiciale, Rusticum, tempore grassantis contaginis ordinatum, aliaque, quæ à jure privilegiata esse, & subsistere jubentur: de quibus vid. latè & ad seculum nostrum convenienter appositeque Carpz. *Jurisp. Forens. part. 3. Const. 3. & seq.**

VII. Ex horum (justorum) genere quoque statuimus illud, quod per querelam inofficiosi impugnatum est. Nam in hoc tutela absque confirmatione firma est, quia præter institutionem omnia, (tutorum quoque dationes) salva permanent, per Nov. 115. *cap. 3. in fin. Auth. ex causa C. de lib. præter. Bachov. ad §. permissum. de tutel. n. 3. Secus quàm de jure antiquo l. 8. §. 16. c. de inoff. testam.*

VIII. Eodem modo supremæ dispositiones ad aliorum seductiones factæ, & coactæ, quoad tutoris dationem (modo hæc sine vitio sit:) valebunt, arg. eorum quæ ex Matth. de *afflict. decis. Neapol. 69. affert Daniel Möller ad Const. Elect. 4. part. 3. num. 11.*

IX.



IX. Quod si testamentum omnibus numeris perfectum, destituatur, (quod fieri non censemus, ex pluribus uno adeunte, *l. si nemo. 9. ff. de testam. tut.*) tutelæ quoque constitutio expirat, nec dativus, sed legitimus tutor succedit, quamvis interea, donec adeatur, temporis, alius dandus sit à Magistratu. *arg. l. II. ff. d. t. l. 10. pr. d. r.*

X. Ubi vero modus hujusmodi observatus non est, sed in alia ultimæ voluntatis specie tutela data, jure minimè valet. Quia tamen leges optimè de patris affectu & officio erga liberos sentiunt, atque præsumunt, *v. l. 7. C. de curat. furios.* contra pietatem crediderunt, hanc patris voluntatem negligere, & quasi in fumum mittere. Quare constitutum est, ut, quod ordinationi patris deest, sanctione & decreto Magistratus suppleatur. *l. I. §. I. vers. sin autem. de conf. tut.*

XI. Hinc fluit, neque Codicillis, aut Epistola, nec donatione mortis causa, fideicommissio, aut Legato, (quippe quæ hodiè separatim relinqui possunt:) aliòve minus perfectò testamento datam tutelam jure validam esse, sed confirmandam: Solis Codicillis exceptis, si se ad testamentum perfectum referant *l. 3. ff. de test. tut.* juxta Regulam: quod fit in confirmata dispositione (codicillis) illud fieri censetur in confirmante (testamento.) vid. Bartol. *ad l. 3. de testam. tut.*

XII. Qu. de dispositione inter liberos à patre sine ulla solennitate atque testibus facta, num eâ tutor scriptus, citra confirmationem retinendus? Posset sic videri; siquidem ejusmodi dispositio sustinetur jure: *per l. hac consult. 21. §. ex imperfecto. I. C. de testam. l. inter omnes. fin. C. fam. hercisc. Nov. 18. c. 7. Hartm. Pistor. part. I. quest. I. n. 6. Carpz. Lib. 5. Resp. 85. n. 6. & seqq.* Verùm cum hoc privilegium ultra ipsos liberos & divisionem rerum relictarum, se non extendat, usque adeò, ut nec legata, & fidei-commissa extraneis destinata aliqujus sint momenti, licet pietatis intuitu relictæ constet, Jul. Clar.



Clar. §. ex imperfect. Härpr. §. 3. & 4. n. 222. de testam. rectius  
concludimus, nec tutelam posse ex se subsistere, arg. dict. l. ult. C.  
fam. hercisc. D. Carpz. Lib. 5. Resp. 85. n. 6. seqq. Dn. Hahn. ad  
Vvesenb. de tut. testam. ubi hoc præjudicio sui ordinis confirmat.  
Non refragatur Avth. quod sine C. d. Testament. vid. Hart. Pistor.  
part. 1. q. 2. n. 3. Unum casum excipit Bartol. ad l. qui à patre. Inst.  
h. t. cum unus ex filiis datus fuisset, per. d. l. hanc consultissimã. 21. §. 1.  
C. de testam. ubi etiam Bald. & Fulgos. quamvis hanc exceptio-  
nem paulò turbare videatur Salicetus ad eundem textum,  
non aliter admittendam scribens, nisi pater eum filium de-  
disset, qui ab intestato succesurus fuisset, proximum gradu,  
nempe: Alioquin confirmationem accedere oportere; At-  
que ejus sententiam secutus est Jul. Clar. de testam. quest. 10. n. 3.  
rh. 4. ubi communem esse affirmat.

XIII. Per patrem, cujus appellatione omnes superiori  
gradu existentes veniunt, l. 201. de V. S. ut avus &c. (vide ta-  
men distinctionem in §. permissum. 3. Instit. de tut.) intelligitur is,  
quem justæ nuptiæ, A. Gellius. Lib. 5. c. 19. Fictæ etiam, &  
ex post facto tales, §. fin. Inst. de nupt. D. Strauch. diff. 4. aph.  
1. demonstrant, & qui jus imperandi liberis in familia extan-  
tibus habet, pr. Inst. de patr. potestat. Reliqui omnes, quos ex-  
traneos lex appellat, Jus tutelæ dandæ directò non habent,  
veluti Pater liberorum emancipatorum, it: Naturalis;  
sive ex Servitute ita dicatur, ut in l. 88. §. 12. de legat. 2.  
l. 17. §. 4. ad Scutum Trebell: l. 17. §. 1. qui in fraud. Sive ex  
Concubinato, l. 7. ff. h. t. Strauch. differt. 4. aph. 2. Illi etenim,  
nempè ex servitute tales, planè tutorem dare nequeunt, cum  
servi jure civili pro nullis habeantur, & ipsimet alieno do-  
minio regantur. Accedit quo nec jus testandi habeant, nec  
bona propria; maximè etiam, ubi fingas patrem servum  
filium suscepisse, ex matre, quæ aliquando (vid. pr. Inst. de in-  
gen.) fuit libera. Sed si pater, qui in testamento, tempore

B

ser-



servitutis facto, tutorem liberis scripsit, manumissus sit cum liberis, suis, non dubium est, quin tutoris datio, usque ad confirmationem valeat, quandoquidem hi liberi ad successionem suorum parentum, remotis patronis, admittuntur, ex Constitutione Imperatoria, relata in pr. Inst. de servil. cognat. Cujac. Lib. 20. Observ. 34. Vin. ad pr. Inst. d. r. Nec obstabit regula: Quod initio invalidum, tractu temporis non convalescit.

XIV. Posterioris autem generis patres magis huc pertinere videntur, l. ult. C. de confirm. tut. quibus hodie æquiparatur is, cui ex stupro filius natus est. Nam cum inter Christianos Concubinatus prorsus cessare jubeatur, ea quæ in jure veteri de concubinato cauta sunt, recte, quantum fieri potest, ad spurios extenduntur, D. Strauch. Diss. 4. aphor. 2. sub fin.

XV. Porro ex his colligere est, ob eandem potestatis defectum nec matris, nec aviæ: Item nec agnatorum nec patronorum aut quorumvis extraneorum tutelæ dationem, justo & legitimo quamvis testamento. l. 28. §. fin. de testam. tut. per se valere, sed omnino in omnibus his casibus administratum confirmationis requiri, quamvis id valde difformiter, uti postea dicturi sumus.

XVI. Atque hæc vera sunt, ubi pater modum tutoris dandi à LL. requisitum non adhibuit, l. 1. §. 1. seq. ff. h. r. Cæterum si alia ratione peccet, in subjecto forte, designando talem, quem leges rejiciunt, vitium incurabile est, nec confirmatio nostra quicquam remedii adferre valet, ob disertum tex. in l. jure nostro 26. pr. ff. de testam. tut. ibi: Nec si provincia Præses, imperitia lapsus, patris voluntatem sequendam decrevit, successor ejus sententiam, quam leges nostræ non admittunt, rectè sequetur. Hinc si mulieri demandata sit testamento tutela, nihil actum intelligitur. d. l. 26. pr. de testam. tut. quamvis ipsa sit mater. d. l. 26. l. 31. §. quanquam. ff. de negot. gest. quod nec hodierno jure aliter se



se habere credimus. Cujac. in *Papin. Lib. 4. Respons. ad d. l. 26.* sub fin. Cæterum non negamus posse matrem, ut negotiorum gestricem, administrationem rerum suscipere, si pater hoc voluerit, *d. l. 31. §. quanquam*, tametsi non possit esse tutrix, Cujac. *loc. citat. & Lib. 2. Resp. ad l. 31. §. quanquam. de Negot. gest.* Perinde est si Infans, cæcus, mutus, incertus, §. 27. *Inst. de legat.* vel alius inhabilis datus sit, his enim casibus designatio nullius erit momenti, *arg. l. fin. de tut.* Idem asserendum de Clericis non desidibus & vagantibus. *l. 52. §. 1. C. Just. de Episc. & Cler.* sed illis qui divino cultui ministeria religionis impendunt, uti definiuntur in *l. 2. C. Theod. de Episc. & Cler. & d. l. 52. C. Just. eod.* Enenckel: *Baro. de Privil. Lib. 3. c. 1. n. 6.* Exceptio habetur in *Nov. 123. c. 5. & Nov. Leon. 68.* Verùm hanc prohibitionem Clericorum non amplius observari in Hollandia, testatur Grönevv. *ad d. Nov. Leon. 68.* Simile quid refert de Frisia & Gallia Joh. à Sande, *Decis. Frisic. Lib. 2. tit. 9. defn. 7. & Christin. Vol. 2. decis. n. 8.*

XVII. In nostris, terris quamvis expresso statuto non prohibeantur, nec minus idonei censendi sunt, quam reliqui, satius tamen est illis, abstinere aut excusare se, cum publice intersit, ne ejusmodi curis civilibus & secularibus, quæ periculosas sæpè & onerosas, hæreditatum aditiones, transactiones, contractus, actiones s. instituendas s. prosequendas continent, plurimum præterea laboris & temporis requirunt, graventur homines Deo dicati, Adde *d. Nov. Leon. 68.* Idem censendum de Principum ac Civitatum Consiliariis, ob publicarum curarum, quas sustinere necesse habent, rationem. *Ferdin. Vasq. Lib. 1. Illust. contr. v. c. 98.*

XVIII. Ulteriùs inter inhabiles hodiè ex Novellarum constitutione (*de ff. & codicis jure aliud receptum erat. l. 78. §. 1. ff. de contr. empt. vendit. l. 9. §. 5. ff. de admin. & pic. l. 8. C. qui datur. l. 7. C. de excus. tut. vid. l. 6. §. 18. ff. de Excus. §. 4. Inst. de Ex-*



*ēus.*) referri debent Creditores & debitores pupilli. *Nov. 72. c. 1.* & inde transumpta *avth. minoris debitor. C. qui dar. tut. vel curat.* Illi quidem, ne apochas debiti jam exsoluti, die *Quittungen* gen. Hi vero, ne Cautiones & chirographa, die *Obligaciones* oder *Handschriften* / clam subducant, vel alia via illicita per administrationis occasionem ipsis nocere queant. *d. Nov. 72. pr. & cap. 1. Carpz. J. P. Forens. part. 2. constit. II. defin. 17.* Atque hæc ratio prohibitionis cum in omnibus tutorum generibus locum inveniatur. *confer. l. 55. de legat. 1.* non video, quomodo eadem liberari possint testamentarii, juxta nonnullorum opinionem, apud *Carpz. d. l. defin. 19.* quorum argumenta quid valeant, forte ostendet conflictus publicus. Exceptio est si matres aut avia debitrices aut creditrices tutelam gerant, juxta *Nov. 94.* & ob rationis majoritatem, si pater & avus maternus. Juxta *Doctores. in l. 44. de Pact. & in avth. Minoris. D. Strauch. diss. 5. aph. 20.* Cæterum ut dictæ constitutionis *Novellæ* pœna locum habeat, tria communiter requiruntur. 1. Ut tutores debitum reticuerint. 2. tutelam actu susceperint. 3. ut debitum ante delatam tutelam contractum fuerit. *Carpz. p. 2. constit. II. defin. 19 & part. 2. decis. 119.* Ubi quicquid exceptionis profert, ad forum spectat. Jus enim civile nihil tale constituit. In Terris Saxonis post multas *Facultatū* dissensiones, quas habes allegatas apud *D. Strauch. d. l. August.* Legislator hanc rem ita decidit, ut necesse sit debitum & creditum Magistratui indicare, excusationem proponere, & curatorem petere, qui, quoad hunc actum, minori præstò sit, & actionē tutoris excipiat in judicio, *D. Strauch. d. l.*

XIX. An, qui veniam ætatis à Principe impetravit, pro idoneo reputandus? *Negant Stephan. de Jurisd. Lib. 2. p. 2. c. 1. n. 143. & Cothmam. Vol. 1. Resp. 46.* quod non liceat tali sui privilegii vim ad alienarum rerum curam administrationemve extendere, præsertim cum in muneribus publicis, quale



le tutōrum est *pr. Inst. de Except. tut. l. i. §. 4. l. ult. §. de muner. & honor. l. 9. de his qui sui vel alien. jur. multum ætati tribui debeat, ut colligere est ex l. 14. §. 5. de muner. & honor.* Verum utut diffiteri non velimus, delectum in personis habendum, & præcipuè Magistratui cautionem maximam adhibendam, patri tamen id juris denegare minimè audemus, quem quippe nunquam electurum quempiam putamus, nisi cujus fidem, ingenii consilii que vim, morumque integritatem probè perspectam habuerit. Unde Limnæus. *Addition. ad jus publ. ll. 9. 151. & ad A. B. c. 7.* quoad Illustres de affirmativa sententia ne hæsitare quidem voluit, quem procul dubio tam securum reddiderunt exempla non una, quorum duo adducit, nempe tutelam Gastonis Ludovici XIII. Galliarum Regis, fratris, quam impetratâ ætatis veniâ exercuit in filiam Mompenseriæ, ex Gramondo *Histor. Lib. 16.* Et tutelam Mauritiï Friderici Comitis ab Hohenloë, post concessam veniam in fratres & sorores minores Decreto Camerali susceptam.

XX. Singulari planè odio à tutela non tam arcentur, quam arcent seipsos, Judæi, Christiani nominis & crucis osiores infensissimi, ut Alexandro audiunt. *c. 33. X. de testam. confer. Joh. Barcl. Icon. anim. C. 9.* Licet equidem in Imperio nostro Romano - Germanico juris communis participes sint, *l. 8. C. de jud. & Celic. B. Carpz. Jurispr. For. p. 3. c. 15. defin. 36.* Et olim juri civili tutores dari, pupillis quoque non Judæis potuerint. *D. Præses in rr. de oppign. Jur. cap. 5. §. ult.* Longè tamen aliter judicium ferendum est nostra tempestate. *Conf. Wurml. Exerc. J. P. 4. quest. 18.*

XXI. Restat igitur ut pater det habilem, & quidem Tutorem; Nam si Curatorem, datio jure inutilis est. *§. 1. de Curat. l. i. §. fin. h. t. etiamsi qui dat, miles sit. l. 40. de admin. tut.* Aut mater. Ita enim hanc facultatem sibi ademptam queritur illa apud Scævola in *l. Lucius. 78. §. 1. ad Sc.*



Trebell: his verbis: quos etiam, si licuisset, curatores substantiæ meæ dedissem, remotis aliis. Idque Lex XII. Tabb. vetat, quæ de tutore tantum loquitur. Jam vero tutoris & curatoris datio tota legis est, pendetque tota ex præscripto legis: vel Edictorum, quantum ad curatores. Cujac. ad Modest. Lib. 7. Differentiar. Non obstat Nov. 89. c. 14. & Nov. 117. c. 1. §. 1. in quibus jubentur curatores à parentibus vel extraneis liberis dati à Magistratu confirmari. Loquuntur namque de alio prorsus genere curæ, cui cum nostra nihil commercii est.

XXII. Habiles, diximus, dandos esse. Hos tanquam sub regula comprehendere voluisse videtur Paulus in l. 21. ubi ait. Testamento tutores hi dari possunt cum quibus testamenti factio est. Quam Lesbiam non immeritò dixeris, nam quo tendat, nemo perspicit. Sive enim de activa, sive de passiva testamenti factio capias, utroque modo decipieris; Nec poteris eam cum Bartholo passivè tantum interpretari, additâ exceptione illorum quos lex speciatim prohibet. Nam hoc adhibito remedio æquè commodè ad activam applicabitur.

XXIII. Cæterum non omittendum quod testatoris potestas in dando tutore quædam singularia habeat; Nam i. servus dari potest tam alienus quam proprius §. 1. Inst. qui testam. tut. dar. poss. Hicque sive cum, sive sine libertate d. §. 1. modò id discriminis notetur, ut si non directam sed fideicommissariam libertatem consequi debeat, tutelæ datio directò statim non valeat, sed decretum Prætoris adhibendum sit. l. 25. §. 1. ff. de testam. tut. Ratio est, quia hujusmodi datio ab initio vitium habet, quod non directò & immediatè proficiatur à patre, quod tamen lex XII. Tabb. necessario requirit, ob deficientem in primordio libertatem, quam non nisi mediante hærede servus demum accipit. Ergò post acquisitam demum libertatem confirmatio Prætoris ex mente Patris subsequitur d. l. 25. §. 1. 2. Fieri etiam potest cum ad-  
jectione



jectione die vel conditionis, huiusque vel expressæ vel tacitæ.  
§. 2. & 3. *Inst. qui testam. tut. l. 11. de tut. & utriusque tam per mo-*  
*dum termini à quo quam ad quem, l. 3. §. 7. de susp. tut. §. 1. Inst.*  
*de Attil. tut. §. 2. quib. mod. tut. fin. Bachov. ad Treutl. Vol. 2. Disp.*  
*8. th. 2. lit. I.* Est & hoc insuetum & ab aliis tutelæ speciebus  
abhorrens, quod Magistratus, veluti Prætor, Consul, dari  
possit, quia Lex XX. Tab. id confirmat, l. 20. ff. de testam. tut.

XXIV. Sed quid de eo, quem pater non proprio motu  
dedit, sed, quod se ipsum testamento inter alios à patre desi-  
gnatos scripserit, manu sua subscribendo, approbavit: Vide-  
tur talis in pœnam Legis Cornelie & S. C. t. Liboniani de  
quo Anton. August. de S. C. t. p. m. 211. incidisse arg. l. 1. ff.  
de iis, que pro non script. habent. & maximè l. 22. §. qui lib.  
8. ad L. Cornel. de fals. Verùm tantum abest ut huiusmodi  
tutor testamentarius, h. e. falsarius sit, ut potius cogatur ob  
approbationem patris ad tutelam, nec ullo modo se excusare  
possit l. 29. ff. de test. tut. ubi rationem addit J. C. tus: *quoniam*  
*promisisse videbatur.* Qui autem promiserunt se tutores esse  
velle amittunt jus excusandi. l. 15. §. 1. ff. de excus.

### CAPUT III.

## Quorum sit confirmare, docet.

#### I.

Proximè enumeratæ causæ, vel potius defectus faciunt,  
quo tutela minus ex se & suis viribus firma sit; sed ut a-  
lio auxilio tanquam fulcro & adminiculo opus habeat. Illud  
est Magistratus autoritas, decretum & confirmatio. Videam-  
us prius de illis quibus hæc facultas confirmandi data est.  
Tum etiam de ipso confirmationis actu, forma & modo.

II. Qui confirmant sunt Magistratus, à verbo magistra-  
re, quod regere & moderari est, (ut ex Festo constat) sic  
dicti, qui jurisdictioni præsunt, vel iudicium publicum exer-  
cent,



cēnt, quos vel delineasse h. l. ita sufficiat, quāmqvam Bodinus Lib. 3. de Rep. Cap. 2. neminem five Jurisconsultorum five Philosophorum fuisse adfirmet, qui satis recte definierit: quō loco simul Goveani & Cujacii Definitiones nominatim reprehendit. Apud Romanos Magistratus fuere duplicis potissimum ordinis. MAJORES & MINORES. Utrique iterum vel URBANI vel PROVINCIALES: Ambos ex Vultejo ad *pr. Inst. de Attil. tut.* hic recensere placuit. Urbani majores sunt CONSUL, PRÆTOR, PRÆFECTUS URBI. Provinciales majores; PROCONSUL missus à Senatu, PRÆSES missus à Principe. Minores Urbani sunt. ÆDILES & QUÆSTORES. Minores provinciales DUUMVIRI. Nam quod Romæ erat Senatus, id in cæteris civitatibus erat curia, quod in illa Consules in his civitatibus erant Duumviri: quod in illa TRIBUNI PLEBIS, in his erant Defensores plebis. Quod in illa SENATORES, in his erant DECURIONES & CURIALES.

III. Ex his qui dare tutorem potuerunt, eos confirmandi etiam illius habuisse potestatem credendum est. *arg. l. 1. §. 1. vers. sin autem ff. de confirm. tut. l. 5. ff. eod. §. 4. Inst. de Satisdat. tut. vel Curat. facit l. 26. §. fin. de testam. tut. Consul. Vultejum. ad §. permissum. 2. Inst. de tut. in fin. & Zahn. Ichnogr. Munic. Dare autem vel confirmare non potuerunt sine discrimine omnes: Verum illi tantum quibus hoc nominatim ex Lege, SCto, aut Constitutione Principis concessum erat, l. 6. §. 2. ff. de tut. qua de re vid. pereleg. Dn. Franz. Exerc. 3. q. 1. & ad ff. de jurid. n. 24. & seqq.*

IV. Propter specialem autem legis concessionem non statuendum, quod non sit actus jurisdictionis, ut communiter volunt. Quemadmodum enim decretum super alimentorum transactione. *l. cum hi. 8. de transact. cognitio de alienandis prædiis minorum 25. annis, l. 1. §. 1. ff. de reb. eorum qui sub*



*Sub tut. judicem dare. l. cum Praetor. §. 1. ff. de jud. aliaque, non minus inter jurisdictionis munera recensentur, quod ex speciali mandato aut concessione sint; Ita nec tutoris dandi facultatem à jurisdictione sejunctam putamus. arg. l. 3. ff. de Jurisd. d. l. cum hi. 8. l. 1. pr. de offic. ejus.*

V. Nec metuendus Ulpian. in l. 6. §. 2. de tut. ubi ait: *tutelam neque Imperii esse, nec Jurisdictionis, sed competere ei, cui lex nominatim concessit &c.* Si enim ejus mentem penitus inspiciamus, non vult hæc duo: *jurisdictionis esse: & specialis concessionis esse: sibi invicem opponere, id quod nec posset, cum etiam ea, quæ speciatim lex concedit, jurisdictionis sint, ut clarè adparet ex illis quæ paulò ante diximus.* Verùm illud vult JCtus monstrare, quod licet sit alicujus Jurisdictionis, non tamen ideò ad omnes statim, qui Jurisdictionem ordinariam suam exercent, pertineat, nisi speciatim illud sit datum, concessum aut permissum. Vel, quod non competat Magistratibus jure Magistratus ac vi officii; vel, quod non quilibet sibi id juris usurpare possit, nec alteri mandare, quatenus Magistratus est, d. l. 2. de offic. ejus. Interim si exercent ex concessu speciali, non negandum, esse jurisdictionis, licet non hujus quam Magistratus exercet, tamen aliùs quam lex detulit. Et hanc sententiam subtiliter & abundè deducit Scip. Gentilis ad Orat. D. Marc. cap. 1. Ubi refert multorum interpretationes easque post accuratissimam examinationem omnes refutat.

VI. Fulgosius equidem, doctissimus quondam Interpret, affirmare non dubitavit, tutoris dationem competere Magistratui cuivis, quatenus Magistratus est, atque ita jure suo vel ratione officii sui, idque ob l. jus dandi. 3. ff. qui per. tut. vel curat. Quod, si verum est, nostra paulò ante data explicatio, satis rectè se non habebit. At vero sciendum i. loqui JCtum in d. l. 3. non de Magistratibus quibusvis in  
C uni-



universum, sed de municipalibus duntaxat, qui in municipiis seu oppidis minoribus, alterius majoris imperio obnoxii, ex ipso civium numero eliguntur, & opponuntur in jure nostro majoribus à Principe constitutis; Suntque duum generum. Duumviri & defensores. Ipsi cum jurisdictione sua, quæ civilis saltim est, nec magni momenti; & absque tribunali exercetur, parent Præsidi provinciæ *l. 29. ff. ad municip. l. 4. §. 3. ff. de damn. infect.* vid. Scip. Gentil. *de Jurisd. Lib. 2. c. 6. & 7.* De causis autem criminalibus cognoscendi nullam habent potestatem, ut disertè constat ex *l. defensores. 5. C. de defens. Civit.* verb: *Seniores non exercent quæstiones.* Hinc Chrysoft. *in Act. Apost. Cap. 20.* Defensoribus datam esse scribit, potestatem duntaxat in litibus tenuiorum hominum privatis; Sed Pro-Consulibus seu Præsidibus in causis ditiorum, & in causis criminalibus τῶν πλεσιῶν καὶ τῶν ἀδικημάτων δίκαις: Add. Menoch. *Cent. 2. Arb. jud. Q. C. 144.* Ubi docet ad quam summam judicandi potestatem habuerint. Deinde 2. notandum, Juris tum non dicere id juris minoribus istis Magistratibus vi officii competere, sed datum esse. Si ergo datū est, necesse est, specialiter datum esse, à lege datum esse; quanquam fortè, quā nominatim id lege factum, ignoretur. Gentil. *de Jdicit. Lib. 1. ad Orat. D. Marc. Cap. 2.* Non benè igitur connectit ita Fulgositius: Magistratibus municipalibus hæc potestas data est. Ergo omnibus Magistratibus data est. Ergo etiam Majoribus data est. Supra enim prolixius dictum, ea quæ data sunt, licet Jdictionis etiam sint, à Magistratibus ratione muneris sui non exerceri. Gentil. *d. l. Cap. 1. in fin. & Lib. 3. passim.*

Cæterum quibus speciatim ex Legibus dati olim fuerint tutores, nostrum jam non est longiùs hic recensere. Constat illud ex Imperatore nostro in tit. *Inst. de Attil. tut.* Cui addeſis Tranq. *in vita Claudii Cap. 23.* Capitolin. *Cap. 10.* Alexand. ab Alexand. *Genial. Dier. Lib. 2. c. 15.* Vultej. *Inst. ad dict. tit.*

VII. Ho-



VII. Hodiernis moribus pupillis Imperii immediatis Imperator tutores constituit & confirmat, vel ipsemet, vel per alios, puta Consiliarios in Aula sua, si Princeps aut major aliquis sit: Per iudicium Camerae vero si minores, Comites nempe Barones ac nobiles immediatè Imperio subditi sint. Illi qui mediatè Imperio subditi sunt, tutores accipiunt à Principibus, Comitibus &c. Item à Magistratibus Civitatum, uti apparet ex Ordin. Polit. Imp. de anno 1577. Tit. 32. §. 1. Ubi hæc habentur verba de hac re; **So wollen wir allen und ieden Chur, Fürsten, Fürsten, Prælaten, Graffen, Herrn, von Adel und Communen hiermit ernstlich auferslegt und befohlen haben, in Ihren Fürstenthümern, Herrschafften, Oberleuten und gebieten ic.**

In terris Saxoniae regulariter ab eo, qui Imperium vel Jurisdictionem inferiorem habet, der die Erb, und Niedergerichte hat. Carpz. J.P. part. 2. const. 15. Defin. 26. Hinc formula pronounciandi. **Es wird euch aber ein Curator von der Obrigkeit unter welcher ihr geseßen, billig verordnet.** Conf. D. Franzk. Lib. 1. Resolut. Quæst. 16. Ubi etiam de jurisdictione Academica.

VIII. Qv. hîc non citra rem. An nostris temporibus Tutores extra ordinem dari desierint, & num tutoris datio jure Magistratus ordinario competat? Possent hæc ex inutilibus videri quæstio, cum ferè concorditer omnes interpretes hoc affirmant, moti Ordin. Polit. loco allegato. Ex innumeris unum Harprechtium ad §. 4. Inst. de Attil. tut. adduxisse sufficiat, penes quem plures hujus rei testes adductos videas. Sed multitudo nobis non obstat, quo minus contrarium asseramus. Nam i. hoc nusquam mutatum est, quare veterum legum regulis inhærendum erit, ut alibi loquitur Imperator nempe in l. 32. §. fin. de appell. l. 17. de collat. 2. Quia nec hodiè tutelæ datio mandari solet, nec potest. Dn. Franz.



*ad pr. Inst. de tut. dat. num. 6. 3.* Quia in multis civitatibus jus hoc Magistratui ordinario non cohaeret, sed apud extra ordinarios Senatores, aut Commissarios reperitur, qui tutelares (Vormunds, Rätche/Vormunds/Commissarien) vocantur, uti de Norimberga testatur Scip. Gentil. *de Jdict. Lib. 1. c. 2. ad Orat. D. Marc.* Et tale Collegium quoque instituerunt Sereniss. Duces Gothan. in quo quicquid est tutelarium negotiorum expediri jubetur. Hinc in tutoriis & curatoriiis clausula inseri solita; **Massen ihr dasi vor unsern Vormunds/ schaffts/Commissarien an Eydess statt gewöhnliche Hand/ gelöbnis abgelegt.** Württembergici Duces, laudatissimo instituto per singulas civitates & pagos hujusmodi tutelaria judicia ordinari curarunt, de quibus videre est Tit. 42. in *Provincialibus Ordinationibus*, ex qua quaedam in hanc rem facientia huc transferre non piget. **So wollen / setzen und ordnen wir / hiermit ernstlich gebietend / dasi in ieder Stadt und Flecken unsers Herzogthums / durch unser Ober- und Unter- Amtleut auch Gericht jedes Orts etliche Gottsfürchtige / fromme und aufrichtige gutberzige Männer aus ihnen erkieset und verordnet / denen ein sonder Pflicht und Eyd / auch Ordnung gegeben werde / alle Wochen oder nach Gelegenheit jedes Orts / und viele der Pfleg- und Vormundschafft / in 14. Tagen / drey oder vier Wochen / zum wenigsten einmal zusammen zu kommen / alle Pfleger und Vormünder für zu bescheiden / zu sehen und zu hören / was vor Mangel und Brechen vorhanden / wie denen zu helfen und zu begegnen / auch wie es fürnemlich mit der Zucht / Auferziehung und Vorsehung aller Wäissen und mündersährigen gehalten / dergleichen wie deren liegende auch fahrende Hab und Guter verwaltet werden / wie viel und was an baarem Gelde / Wein und Früchten unter der Pfleger oder Vormunden Händen**



den sey/wie und an welchem Ort das zu Nutz und Meh-  
rung der Waisen und Minderjährigen angelegt / vers-  
kauft oder bewahrt möge oder solle werden. 2c. Neben  
der Freundschaft der jungen mit Ernst und Fleiß zu fras-  
gen / zu berathschlagen / und zu schlüssen / darzu sonderlich  
zu rechtfertigen anzuhören / zu erfahren und zu sehen / ob  
denen Kindern wohl und richtig gehauet / und ob auch  
dieser unser Ordnung stets nachgelebet werde / darnach sie  
dann ihr Amt und Aufsehen zu haben und zu richten  
schuldig und pflichtig seyn sollen 2c.

In Belgio id munus certis & peculiaribus quoq; iudicibus  
injunctum esse refert Groenev. ad §. 4. Inst. de Actil. int. Imò  
solet & personis privatis aliquando hæc committi potestas,  
veluti Comitibus palatinis. Gentil. d. l. Exemplum & formu-  
lam hujusmodi concessionis exhibet, D. Huld. ab Eyben ad d.  
§. 4. obf. 14.

IX. Nec refert, quod hodiè præsertim in Saxonia, o-  
mnes iudices Magistratusve, etiam inferiores, die nur die  
**Unter und Erbgerichte zu verwalten haben** / tutores varii  
generis dare & confirmare videas, quoniam hoc non est per-  
petuum, siquidem multæ reperiuntur civitates, quarum Re-  
ctores ista potestate carent, ut paulò ante dictum. Confer.  
D. Zahn. ichnogr. munic. c. 52. n. 11. Nec proba collectio esset:  
Exercetur à Magistratibus omnibus. Ergò non exercetur ex  
speciali concessione, sed munere ordinario; Nam differen-  
tiam illam inter Ordinariam Jurisdictionem, & ea quæ ex  
singulari indultu competunt, adhuc durare putamus, cum  
accuratissimo Frantz. d. l. Accedit quod interdum à Juris-  
dictione prorsus separatim sit hoc munus, siquidem in quibus-  
dam oppidis dantur Senatores, qui possunt tutores creare &  
confirmare, omni interim tam superiore quam inferiore Ju-  
risdictione penes alium existente.



CAP. IV.  
De confirmatione ipsa, quid &  
quotuplex sit.

I.

Confirmationem quod attinet, non intelligimus (1) nudam approbationem aut consensum, qualis adhibetur in contractibus jam sua natura perfectis, saltem in eum finem, ut eò certius constet de re gesta, ipsique contrahentes, metu Magistratus à fraude & fidei læsione deterreantur: *confer. l. 5. ff. de pignor. & hypoth.* quod confirmationis genus eleganti exponit Disputatione sub Præsidio D. Joh. Christoph. Falckneri J.Cti & Antecessoris Excellentissimi. Dn. Christoph. Runtsch in quâ vid. §. præsert. 70. cum seq. Nec (2) intelligimus illam quæ inter propriam & impropriam confirmationem media quædam est, atque non impropria dici poterit; quo pacto testamentariæ hæreditates Lege XII. Tab. confirmari dicuntur apud Ulpian. *l. 130. ff. de V. S.* Propria enim illa confirmatio non est, quoniam non simpliciter & immediate à lege proficiscuntur vel dantur ejusmodi hæreditates: sed ab homine. Nec tamen proprus impropria dici potest, quoniam Lex eas confirmat, i. e. istiusmodi ultimarum voluntatum sanctionibus adstipulatur & ad sensum præbet; quamquam non ex post facto singulis casibus futuris accedat, sed ab initio semel generaliter per universalem constitutionem accessisse intelligatur. Id quod in permultis juris nostri articulis fieri solet, cum lex ipsa quodammodo curam alicujus rei in se suscipit, universaliter & semel prospiciendo, quò majori auctoritate & favore polleat. Eaque publici juris esse perhibentur in Legibus nostris ut *l. 3. qui testam. fac. poss. in Princ. Inst. de Excus. tut. l. 1. §. 4. l. ult. §. de muner. & honor. Alber. Gentil. in Comment. ad tit. de V. S. l. 130. Gædd. ad eandem*

n. 4.



n. 4. & 5. Atque hæc, quæ de media s. non impropria confirmatione diximus, non ineleganter illustrat idem Ulpian. in l. 1. §. 3. de tribut. action. ubi inter velle & nolle, medium quoddam facit, non nolle, quam distinctionem latius erudita interpretatione prosequitur D. Strauch. in Dissert. ad 50. Decision. diss. 2. cap. 1. num. 5. & seqq.

II. Sed (3) intelligimus talem confirmationem hoc loco, quæ postea singulis negotiis, quoties opus est, accedit: à qua actus velut incipit, principale robur, substantiam & essentiam capit. Alciat. ad l. 130. ff. de V. S. quæ vocatur alias confirmatio justitiæ. Gail. 2. Obs. 1. n. 19. ad differentiam illius, quæ vocari solet gratiæ secundum Adrian, Gylmann. Symphor. Camer. Tom. 3. verb. confirmat. §. 5. circa finem. Gail. d. l. num. 19. Sine quâ alioquin actus nullus foret, nec ullum effectum produceret. Prout L. XII. tutelam testamentaream, fere confirmare i. e. efficere aut dare dicitur ap. Paul. in l. 20. ff. de testam. rat. in fin. & Ulpian. tit. II. §. 14. Ubi testamentarios ideò dativos adpellari ait, ut infra quoque notamus. add. Cujac. in paratit. Cod. Lib. 5. tit. 29. ubi: *Et sola igitur Lex tutorem aut Senatus aut Princeps, ut hæredem, facit, non testator, non Prator.* Et talis confirmatio est auctoritas tutorum, r. t. de author. tut. Decretum in alienatione rerum minorum r. t. C. de reb. min. It. illâ quam adoptionibus, non jure factis, Princeps aut Populus addebat, de quâ Marcellus l. 31. de adoption. ait: *adoptio non jure facta à Principe confirmari potest.* Dio. Lib. 46. Arriano. Lib. 3. vocatur iteratio uti & ipsi Dion. Lib. 45. ubi scribit: *Iterari seu confirmari Octavii adoptionem necesse fuit, quasi non jure factam, quod quantum potuit Antonius traxit, ne Octavius Cesaris filius legitimus censeretur,* Cujac. 7. 0. 7. aliaque id genus in jure nostro, de quib. 2. Feud. 52. pr. Mynsing. 4. Obs. 87. Ludvv. de Feud. cap. 7. Novell. Elect.



lect. 23. p. 2. §. Wiewol. Carpz. J. For. p. 2. const. 12. def. 14. Quo  
etiam pertinet cessio nominum & actionum. Edict. Elect.  
Saxon. de cession. sub anno 1614. §. Wie dann auch. verb. über  
das auch. Nam in omnibus his confirmare idem est ac dare.

III. Est autem hæc confirmatio nostra, vel nuda, sine  
omni adjuncto, vel non nuda, sive vestita, i. e. cum aliis  
adminiculis, veluti inquisitione, satisfactione rem pu-  
pilli salvam fore, de qua tit. Inst. de satisfact. & ff. rem pupill.  
salv. fore, & institutione, conjuncta. Bachov. ad Treutl. Vol. 2.  
D. 8. §. 2. lit. A. B. Ex his adminiculis interdum unum, inter-  
dum plura, pro ratione defectuum, de quibus superior. cap.  
desiderantur.

IV. Nuda confirmatio sufficit, sicubi pater legitimus  
liberis impuberibus dedit tutorem, & quidem 1. Non justo  
testamento l. 3. ff. l. 2. C. de confirm. vel ex post facto infirmato.  
l. 26. §. 2. l. 31. de testam. tut. Aut 2. Codicillis non confirmatis;  
vel aliâ imperfectâ ultima voluntate. Vid. Montan. de tut.  
Cap. 8. n. 7. Aut 3. liberis potestate solutis. §. 5. Inst. de tut. l. 1.  
§. 1. de confir. tut. Aut 4. Curatorem; l. peto. 69. §. mater. 2. de  
leg. 2. l. 6. ff. h. t. His omnibus casibus sola sufficit confirma-  
tio. Circa patrem naturalem distinguendum utrum aliquid  
filio sit relictum, nec ne: Priori casu cum inquisitione: hoc,  
simplex confirmatio interponenda. l. 7. ff. l. 4. C. de confirm.  
tut. l. fin. C. de natural. liber.

V. Duo adminicula comitantur matris vel aviæ da-  
tionem: Nimirum institutio & inquisitio personæ. l. 4. ff. de  
testam. tut. l. 4. §. 4. ff. qui petant tut. vel cur. Ubi Prætoris  
officium est, videre, an tutor sit homo bonæ famæ, idoneis  
facultatibus, benè moratus, diligens paterfamilias, an norit  
educationem liberorum. Donell. Lib. 3. Comment. Jur. Civ. C. 5.  
n. 9. Et ab hæc inquisitione nemo, cujusunque etiam digni-  
tatis



tatis sit, liber est, quamvis Senator sit. *l. in dando. 18. ff. de tut. dat.* Alia ratio est inquisitionis, quam Magistratus instituit de voluntate patris, an duraverit usque ad mortem, de qua exaudienda *l. 8. ff. h. t. & l. 4. in fin. de testam. tut.* Donell. d. l. de cuius effectu dicetur infra.

VI. TRIA (institutio, inquisitio & cautio) necessaria sunt, sicubi Patronus liberto. *l. 28. §. ult. ff. de testam. tut. l. 4. ff. h. t.* Patruus vel quivis extraneus tutorem alicui testamento designavit, *l. 2. l. 5. l. 8. ff. h. t.* Nam hi dilexisse præsumuntur pupillum ex eo, quod hæredem eum instituerint, atque ita etiam in rem simul tutorem dederint, Cujac. *in d. l. 28. §. ult.* ut proinde rectè concludat Paulus *in l. 4. h. t.* eorum iudicium sequendum esse.

VII. Verùm, quod diximus de tribus requisitis, non ita est exaudiendum, quasi semper & conjunctim adhiberi debeant, sed distinctione opus est, & videndum, an qui confirmant sint Magistratus majores, veluti in Urbe Prætores, & in Provinciis Præsides; An vero minores, quales sunt municipales, de quibus distinctius supra: Si illi confirmant, inquirunt simul in bona & mores, sed cessat exactio satisfactionis, *l. 1. §. 1. & 2. l. 2. l. 4. l. 11. §. 1. ff. l. 1. C. de confirm. tut. l. 32. de excus. tut. §. 4. Inst. de Satisfat. tut. vel curat.* idque fit pro tribunali. *l. 7. §. 1. in fin. ff. de confirm. tut. i. e. in sella Curuli,* loco sublimi, in qua sedebant Magistratus Populi Romani, quando actus Jurisdictionis exercebant, ut eo magnificentior esset eorum aspectus. Gell. *Lib. 14. N. A. cap. 2.* Budæus *ad l. 1. ff. de judic. Gentil. de Jurisdic. Lib. 2. cap.* Formam hujusmodi tribunalis depingit Vitruvius. *Lib. 5. de Architect. cap. 1.* ubi de Basilica Julia loquitur, quam ipse erat architectus.

Si vero Minores Magistratus confirmant, simul satisfactionem exigere necesse habent, cessante e contra inquisitione, cuius defectum exacta cautio supplet, *l. 5. ff. de confirm. tut.*

D

in



in cuius conciliatione tantoperè sudavit Accurs. ad verbum debuerunt; Adde §. 4. *Inst. de satisd.* Suthold. *diff. 3. aphor. 10.* Bachov. *ad Treutl. Volum. 2. D. 8. th. 2. lit. A. B. ad verb. quid si Patronus &c.* Hi tamen propriè tribunal non habebant, sed de plano, subselliis positis, officio iudicandi fungebantur, prout hanc differentiam benè exponit Ascon. Pedian. *in Divinationem Ciceronis: Subsella, inquit, sunt Tribunorum, Triumvirorum, Quæstorum, & huiusmodi minora iudicia exercentium, qui non in sellis curulibus, non tribunalibus, sed in subselliis confidebant.*

VIII. Cùm autem testamento tutorem nominare liceat patri alterius etiam civitatis subditum. *l. 32. pr. ff. de testam. tut. l. 10. de tut.* ut sic duo Magistratus, testatoris nimirum, & tutoris designati, concurrere videantur, quæstionis est, à quonam confirmatio sit interponenda? Huius quæstionis solutio dependet ab illa supra ex professo tractata, an confirmatio sit dare? Quod uti affirmatum, ita consequens quoque erit, eum Magistratum confirmare debere cuius sub imperio indicatus tutor est. *arg. l. 27. ff. de tut. dat. confirm. D. Franzk. Lib. 1. Resol. quæst. 16. ubi docet, num Magistratus Academicus Studio suo bona sua alibi habentia, de tutore prospicere possit? Interim Magistratus defuncti rectorem alterius civitatis, per literas mutui compassus rogare poterit, ut tutor confirmetur. Mævius ad jus Lubec. Lib. 1. t. 7. art. 2. n. 3. Videl. 24. de tut. dat.*

IX. Superest, ut, ad quorum petitionem fieri debeat, confirmatio, videamus? Hoc faciunt quidam ex iussu & juris necessitate; quidam ex libera voluntate. Ad primam classem pertinet mater *l. 2. §. 2. l. 4. t. t. pr. ff. qui pet. tut.* quæ si non petierit, arcetur à legitima liberorum suorum successione, quasi indigna, accipere hæreditatem, quod neglexerit liberis constitui aut confirmari tutorem. Hæc pæna autem tum demum locum habet, (1) Si liberi impuberes deceserint,



serint, l. 3. C. ad Sc. Tertull. adde l. 8. §. 1. de jur. Codic. (2) Si non petierit intra annum. §. 6. Inst. ad Sc. Tertull. l. 20. C. de legit. hered. Diss. cum Angel. Bachov. & cum hoc Vin. ad d. §. 6. quorum argumenta ad cathedram ablegamus. Plures exceptiones retulit Carpz. *Jurispr. For. p. 2. c. 11. def. 15.* ubi asserit, huic pœnæ etiam in foro Saxon. locum esse.

X. Citra necessitatem, ex libera voluntate, petunt Cognati, affines & amici, l. 2. pr. ff. qui pet. tut. Interdum Creditor, cum pupillo acturus. l. 2. §. 3. d. t. Sæpius ipsi tutores. Bartol. ad l. qui à patre. ff. h. t. num. 3. ubi tradit; posse ejusmodi tutorem, quem Magistratus imploratus neglexerit confirmare, interim tutelam suscipere & administrare. n. 4. Non obstante l. 40. ff. de administr. & peric. tut. Nemine, qui hoc faciat, ex amicis, existente, Magistratus ex officio tenetur idque sub pœna. Vid. R. A. de Anno 1548. & 1577. tit. 32. §. Von denen Minderjährligen. Hinc multis in locis receptum est, ut tutores dati vel legitimi citentur à Magistratu, ut confirmentur, id quod præprimis nostris moribus, quibus omnes decreto instruendi sunt, usitatum est, teste experientia. D. Mæv. d. l. num. 33. & seqq. Ubi tamen nonnullos casus proponit, quibus necesse non sit expectare Decretum. Quod si Curatores confirmandi sunt, ipsi minores, ceteris paribus, Magistratum adire possunt, d. l. 2. §. 4. Quod hodiè Mulieres, quando Curatore ad litem ipsis opus est, frequenter facere solent.

XI. Sed hïc Qv. Quid hæc confirmatio civilis distet ab hodierna, cujus in fine θ. præcedentis mentionē fecimus, quæque fieri in quavis tutelæ specie debet, interposito Magistratus decreto? Tralatitium est, nostra ætate, antequam tutor administrationem incipiat, quatuor potissimum requiri. I. Compositionem repertorii sive inventarii. l. 7. pr. de admin. tut. l. 24. C. de adm. tut. l. fin. §. 1. C. arbitr. tut. d. Recess. Imperii. de anno 1577. Exceptionem pete ex D. Carpz. *Jurispr. For.*



*p.2. Const. II. defn. 4. cui tamen junge Lib. 5. Resp. 82.2. Satisfac-*  
*tionem Refor. Polit. 1548. tit. von der Pupillen Tutorn, de*  
*quâ alibi.3. Juratam promissionem, pupillum non de-*  
*sertum iri tam in iudicio quam extra. Nov. 27. cap.8. & auct.*  
*qui nunc. C. de curat. furios. D. Strauch. diff. 5. aphor. 21. dd. Recess.*  
*Imper. de anno 1548. & 1577. allegatus locis. Formulam illius*  
*exhibet Ordinatio Camer. part. 1. §. 76. quam in Camera Illu-*  
*stres per Procuratorem in animam principalis sui jurantem*  
*præstare moris esse testantur plures. Hodiè hæc promissio*  
*apud nos & plerisque aliis locis sine jurejurando durch ein*  
*blosses Handgelöbnis: fieri solet, ut referunt Sande & Ma-*  
*gnif. D. Struv. Exerc. 31. §. 35. Mævius d.l. n. 45. Carpz. d. Const.*  
*II. def. 6. n. 4. 4. Decretum Magistratus, de quo iterum*  
*dict. Recess. t. 32. quod verò idem non est cum eo, quod ex-*  
*posuimus hæctenus, quo inutiliter dati firmitatem acquirunt.*  
*t. t. ff. & C. confirm. tut. quam ineptam opinionem Anton. Fa-*  
*ber Practicis obtrudit in Error. pragmat. c. 10. decis. 3. non*  
*sine manifesta injuria, ut observat Mæv. d.l. n. 23. Sed differt.*  
*(1) ratione finis & formæ, illud enim ut supra dictum &*  
*infra dicetur, interponitur eum in finem, ut det tutelæ auspi-*  
*cium & substantiam; Quare designatus à testatore tutor, an-*  
*te hunc actum ne tutor quidem dicendus veniebat. l. 3. de*  
*confirm. tut. l. 26. §. fin. de testam. tut. l. 16. pr. de curat. furios. nec*  
*administrationis capax erat, nec periculum ullum sustinere*  
*cogebatur, l. 40. ff. de admin. tut. l. 1. & 4. C. de testam. tut. Verùm*  
*hæc omnia sequuntur demum ex tempore factæ per decre-*  
*tum confirmationis.*

XII. E contrario modernæ ætatis confirmatio tutorem  
 non demum efficit, corroborat aut constituit, sed jam legiti-  
 mè constituto, & quoad substantiam perfecto, fores tantum-  
 modo aperit ad gestionem sive administrationem: Er wird  
 nicht zum Tutore gemacht / noch als Tutor bestätigt /  
 son



sondern er wird zur administratiōn bestättiget / uti loqui-  
mur in Vernacula. Simili ferè modo, quo olim, pluribus da-  
tis tutoribus, uni administratio decerni solebat, *vid. l. 4. ff. de*  
*auctor. præstand. Bald. in l. si tutor. C. in quib. caus. in integr. restit*  
*nec non & Bart. in l. legitimos. ff. de legit. tut.*

XIII. (2) Differunt ratione Subjecti. Illa Juris Ci-  
vilis Romani, non nisi eo casu, quo inutiliter dati testamen-  
to fuerant tutores, requisita fuit, per sæpius tradita. Hæc au-  
tem in omni tutela & cura (excepta suo modo dativa; *vid.*  
*Carpz. Lib. 3. respon. 14. pr.*) locum habet, ita ut nullus tutor pro-  
pria autoritate se administrationi immiscere queat, sine  
hujusmodi Senatus decreto. *d. Recess. Imp. tit. 32. ibi.* Es soll  
kein Vormunder/er sey gleich Testaments/weise/oder von  
Recht und Richter gegeben/der Vormundschaft sich un-  
terziehen/wosferne ihm selbige nicht von der Obrigkeit an-  
befohlen se. Hinc quicquid ante hoc susceptum, gestum, aut  
quoquo modo, factum, viribus caret, *Mynsing. Cent. 2. Ob. 37.*  
Excipiuntur quidam casus, quos vide apud *Mæv. d. l. & Au-*  
*gust. Beroium quest. 68. n. 3. & 5.* quo refer etiam, si quid  
ante decretum cum evidenti pupillorum utilitate factum,  
aut bonorum quid distractum, quod perituum alioquin  
fuisset: Id quod etiam de nostro decreto Prætoris procedit,  
*arg. l. 40. de admin. & peric. tut. & curat. Bartol. & Salicet. ad*  
*l. fin. C. de tut. qui a. satisd.*

XIV. (3) Differunt effectu; Siquidem is qui Jur. Civ. Ro-  
mano non rectè datus est, priusquam confirmetur, nec tu-  
tor est, nec de culpa seu negligentia respondere tenetur,  
*d. l. 40. de admin. tut.* E contrario noster tutor si quid damni  
datum sit in rebus pupilli, aut per negligentiam aliquid  
peccatum, ad reparationem tenetur, utut ipsi nondum fuerit  
administratio à Senatu decreta. *Dec. consil. 297. Mæv. ad jus*  
*Lubecc. d. l. n. 31.*



CAP. V.  
Quod recenset Tutelæ hujus  
Effectus.

I.

Effectus alii sunt ante confirmationem, alii post confirmationem; Ante confirmationem considerari possunt vel negativè vel positivè: Negativi sunt ante confirmationem, quod præter designationem aut nominationem nihil juris habeat, nec tutor sit, nec administrare possit, nec ad tutelam vocatus censeatur; nec antea periculo ejus tutela sit, nec quasi tutor datus se excusare debeat, *l. 12. §. ult. ff. de excus. l. 1. l. 2. C. in fin. de confir. tut.* Nec currat ei tempus 50. dierum. *l. 1. & l. 2. C. h. r.*

II. Positivum est, quod medio tempore morte testatoris usque ad confirmationem alius à Magistratu interim dari debeat. *l. 3. C. eod. Duar. ad ff. in fin. h. r.* Atque ex his facile intelligere est, hanc tutelam non testamentariam esse, sed dativam; quæ quæstio aliàs DD. vehementer torquet. *Conf. l. jure. 26. §. ult. ff. de testam. tut. l. 27. pr. eod. & l. 16. pr. de Curat. furios. ubi aperte à Prætorè dari dr. Cujac. 7. O. 7. & in paratit. C. Lib. 5. tit. 29. Vultej. in Comment. Inst. ad §. permissum. 2. n. de testam. tut. ubi ait: Ita à Magistratu confirmati non sunt testamentarii sed dativi honorarii.* Appellat equidem Ulpianus testamentarium etiam tutorem dativum, ut videre est ex iis qui ad nos pervenerunt ex corpore suo, titulis, quæ fragmenta vulgò dici solent *in tit. II. §. 14.* Verùm cum eo sensu nusquam in jure nostro legatur, & dativi JCtis propriè illi dicantur, quos Magistratus creavit, *l. Dativus. ff. rem pupill. sal. v. for. l. generaliter. C. de Episc. & Cler. nos quoque à communi acceptione recedere non audemus.*

III. Se-



III. Secundus effectus ante confirmationem positivus est, quod voluntas testatoris præferri debeat, quoad spes confirmationis ulla superesse potest. *l. 11. l. 27. de testam. tut.* Quare vel sola hæc patris denominatio repellit & Legitimos & Attilianos. *d. d. ll.* Quin imò & ipsam matrem aviamque, ita ut Magistratus designatum decreto suo confirmare teneatur, nec ob id, quod mater præstò sit, à patris iudicio recedere possit, D. Hulderic. Eyben. *tr. de tutel. fœmin. Memb. 4. §. 1. & membr. 5. §. 6.* atque hanc sententiam confirmat *l. 16. pr. de curat. fur. l. fin. C. de confir. tut. Nov. 118. c. 5. Add. Nov. 89. c. 14. & communiter DD. Schrad. de Feud. p. 10. Sect. 19. n. 22. Heig. libr. 2. quæst. 13. n. 1.* Sed an idem dicendum, ubi pater absque denominatione simpliciter prohibuerit, ne tutrix esset mater? Affirmant Menoch. *Consil. 682.* Perez. *in C. Lib. 5. t. 47.* D. Strauch. *in dissert. ad R. J. 4. §. 14.* Negant contra Montan. *de iure tutel. cap. 15. n. 6.* Peck. *de testament. Conjug. Lib. 2. cap. 6.* Carpz. *de Jur. fœmin. singul. decis. 2. posit. 1. n. 19.* quibus nostrum addimus calculum, nisi manifestum sit, patrem habuisse justissimas prohibitionis suæ causas. *arg. l. 16. ff. de confirm. tut.*

IV. Nec est quod Dissent. hoc telo pugnare velint; Nam sicuti is qui ante electionem & constitutionem Senator aut Magistratus non est, quamvis necessariò ob certam aliquam præcedentem causam fuerit ad dignitatem evehendus; Ita nec huiusmodi tutor priusquam confirmetur tutor dici potest, per ea quæ suprâ. *Fac. l. 27. pr. de testam. tut. l. 16. pr. de curat. furios.* Longè debilius est argumentum, quod à locatione titularum in  $\infty$ . quâ hic legitimum & dativum præcedit, sumitur. Uti enim ex hoc titulo convenientiam, quam cum testamentario in quibusdam habet, *arg. l. 32. de excus.* non demimus: Ita è contrariò vitiosè inde colligi existimamus, ad ipsam essentiam, quam non nisi à Decreto  
Ma-



Māgistratus hæc tutela sumit. *l. 3. ff. h. r. l. 26. §. fin. de testam. tut. Perez. in C. h. r. in fin.* Nec denique facit ad rem, quod tutor hic se excusans perdat legatum; quoniam etiam nuda designatio efficere potest, ut amittat legatum, quod sub conditione tacita, si tutelam susceperit, relictum esse videtur. Bachov. *ad Treutl. Vol. 2. disp. 8. §. 2. lit. C. verb. & hic tutor magis.* Johann. Hanedoel. *Exerc. Imperial. 6. quest. 4.*

V. Post confirmationem sequitur effectus, ut tutor sit, ut ad tutelam & officium suum vocatus videatur, statimque tutela incipiat ejus periculo esse. Deinde confirmatio & hunc effectum parit, ut immunis sit à satisfaciendo, si confirmatio facta sit, cum: siue absque inquisitione. Nam si à patre datus est, testimonium habere intelligitur, de fide & dexteritate sua omnium gravissimum. Si à matre aut alio quodam extraneo, inquisitionis fides cedit loco satisfaciendi. *l. 13. in fin. ff. de tut. & curat. dat. l. 5. ff. de confirm. tut.* Conciliationem pete ex cap. 3. §. Add. Vultej. *ad §. 2. in fin. Inst. de tut.* Bachov. *d. l.* Cæterum quoad ipsum officium distinguendum erit, an ad inspectionem reliquorum tutorum datus sit, quem honorarium vocant, an notitiæ gratia, an denique administrationis ergò sit constitutus. *vid. l. 14. ff. de solut.* Nam in his omnibus Prætorem defuncti voluntatem custodire oportet. *d. l. pen. de curat. furios.* de prioris generis tutoribus h. l. dicere nihil attinet, videri interim potest D. Lauterbach, Jctus celeberrimus, in peculiari disputat. de honor. tut.

VI. Ordinarii tutoris effectus consistit in ritè faciendo suo officio, & quidem primariò in tuitione & defensione pupilli; siquidem ab ipsa re nomen acceperunt, inquit Imper. §. 2. *Inst. de tut.* Quamvis hodiè fides tutorum inter raritates non domorum, sed seculorum referenda sit, juxta illud Germanorum: *Vormund und Pfleger Treu/wird nims*



nimmer neu. Plures, crediderim, reperias, qui perversis moribus, & nomine, *Bormünder / weisn sie den bitten Brod den Pupillen vor dem Munde weg nehmen / ingleten vor Gerhaber / Gernhaber /* ut Maximilianus Imperator ludere solitus fuit, verius dicantur, Vid. Wehnerus hac voce: quorum improbitatem & incontinentiam, ut peculiari exemplo coercerent supremi Tutores, Magistratus intelligo, maximè è re pupillorum & cum omni laude conjunctum foret; Imò ut facerent, diu jussit summus Legislator Imperii in *Ordin. Polit. Anno 1577. D. Eyben. ad tit. 25. Lib. 1. Inst. Observ. 12.*

VII. Verfatür autem primarium illud tutorum officium (1.) Circa honestam & probam educationem, quã ad virtutis pietatisve studium ducantur: quo spectat *tit. in ff. & C. ubi & apud quem.* (2) Circa necessariam & convenientem alimentationem, sub qua & amictum comprehendo, ut eo utatur, qualem conditio generis & facultates patrimonii admittunt. *l. 12. §. 3. ff. de admin. tut. l. 3. C. d. t.* (3) Circa fidelem in honestis artibus informationem. *l. 3. §. 5. l. 4. ff. ubi pupill. educ. l. 12. §. 3. de admin. tut.* Et si filia sint neptesve, curare tutorem decet, ut lanificio advescere in tempore discant quod non solum in plebeji ortus sceminis, sed etiam in nobilissimis, egregium & laudabile apud Græcos Romanosque semper habitum est, teste Casaubono in Sveton. August. *cap. LXIV.* Bellè hanc in rem Sveton. d. l. ait: *Perennem memoriam peperit Augusto Imp. Roman. quod filiam & neptes ita instituit, ut etiam lanificio asvesceret, vetaretque loqui aut agere quicquam, nisi propalam, & quod in diurnos commentarios referretur.* Et Lucretiam omnes prædicasse scribit Livius. j. 57. quod cum ex improvise supervenissent, haudquaquam, ut regias nurus, quas in convivio luxuque viderant tempus terentes, sed serâ nocte deditam lanæ inter lucubrantes ancillas in medio ædium sedentem inven-

E

vene-



venerint. add. Plutarch. *de claris mulieri*: Sveton. August. *cap. LXXIV.* Arnob. *Lib. 2.* Immo sacræ Pandectæ testantur, nihil magis bonas mulieres decere, quam hanc industriam. Salom. *Prov. cap. ult.* Atque hoc institutum ut præclarum in educatione liberorum imitandum duxit Carol. Magnus usque quaque verè Magnus apud Eginhardum. *in histor. ejusd. Conf. Dn. Conring. Dissert. Polit. de rectâ educatione.* Minus igitur probamus Persarum mores, quibus non aliud magis in contumeliam Persarum fœminæ accipiebant, quam ad movere lanæ manus, apud Curt. *Lib. 5. cap. 2. n. 19.* In quibus tamen omnibus potestas tutoris multum circumscripta est, ut modò consilium cognatorum, modò ipsius Magistratus cognitionem & auctoritatem adhibere cogatur. *l. 1. seqq. l. pen. & ult. ff. l. C. ubi pupill. educ. deb.*

VIII. Secundarius effectus paulò laxior est, consistitque in administratione facultatum pupillarium, *juxta l. 12. ff. de testam. tut.* Hæc interdum fit à solo tutore, & tunc domini loco esse dicitur, *l. 27. de admin. tut. l. 7. §. 3. ff. pro empt. quo spectat Tit. ff. de admin. tut.* Dn. Lauterbach. *d. disp. de Honor. tut. §. 29.* Aliquando fit interveniente & gerente ipso pupillo, & tunc non administrare, sed auctoritatem suam interponere dicitur, de qua tit. *Inst. ff. & C. de Auctor. tut.* Plura non addimus, quoniam cum Effectibus cæterarum tutelarum coincidunt. Quare properamus ad finem paucissimis visuri contraria.

## CAP. VI.

### De Modis, quibus hæc tutela finitur.

I.

Expirat hoc tutelæ genus quinque potissimum modis. (1) Ex persona designantis. (2) ob testamentum. (3) ratione  
Ma-



Magistratus. (4) Ex persona tutoris. (5) Ex persona pupilli.

II. Ex persona designantis patris extinguatur, si voluntatem priorem mutaverit, idque seu verbis, l. 8. ff. de testam. tut. seu facto, quod posterius accidit, aliud novum testamentum ordinandò. §. 2. Inst. quib. mod. testam. infirm. Scripturam cancellando. l. 1. pr. ff. de his que in testam. del. Refer etiam huc, si conditio adjecta deficiat. l. 8. de testam. tut.

III. Ob testamentum cessat, si vel destituatur, h. e. si hæreditas nec adeatur, nec adeunda speretur, l. 1. de injust. rupt. & irrit. l. 9. de testam. tut. quâ de re supra. Vel aliàs infirmetur. t. t. Inst. quib. mod. testam. infirm.

IV. Respectu Magistratus deficit, si justas causas habuerit, denegandæ confirmationis. l. 3. §. 12. ff. de suspect. tut. ff. l. 10. ff. h. t. Ut puta si causam ob quam dederat pater, mutatam videat, ut si ex amico inimicus, ex divite pauperior. l. 4. de testam. tut. ex soluto ære alieno obætatus, sit factus. l. 8. h. t. Vel si cum fisco aliquem contractum damnosum miscuerit, ut loquitur Paulus in l. 9. h. t. d. l. 3. §. 12. de suspect. tut.

V. Ex persona tutoris finitur dupliciter. Vel voluntariè, vel coactè. Voluntariè si ad declinandum onus justam excusationem coram Magistratu opponat. t. t. Inst. & ff. de Excus. tut. & curat. Quo casu se quidem indignum reddit legato, quod pater eidem in eventum tutelæ susceptæ reliquerat, l. 28. pr. de testam. tut. Vid. l. 5. §. admittere. 2. ff. de his que ut indign. auf. l. pen. in fin. C. de Legat. Coactè deficit, vel absque, vel cum sua culpa. Absque culpa, si morte præveniatur. §. 3. & 4. Inst. quib. mod. tut. fin. it. si ab hostibus in captivitatem abripiatur, secundum §. 5. Inst. quib. mod. patr. por. solvitur. Cum culpa, si suspectum se reddat, l. 21. §. ult. ff. de tut. & curat. dat. Recurre ad §. 4.



VI. Ex persona tandem pupilli expirat iterum morte, tam naturali quam civili. l. 4. pr. ff. de tut. & rat. distr. §. 3. quib. mod. tut. fin. §. 4. eod. l. 2. ff. de legit. tut.

Tantum hâc vice. DEO, supremo Rerum Præfidi, qui nos in sua TUTELÂ perpetuo conseruet! In bonis quotidie CONFIRMET! sit  
Laus, honor & gloria!

---

\* \* \*  
**M**unia TUTELÆ ni confirmen-  
tur, Amice,  
Quid valeant doctè disferis atque  
probas.  
Quid ni præclarus defensor juris &  
æqui,  
Publica cum fructu munia susti-  
neat.

*Laudatissimis studiis Humanissimi Do-  
mini Resp. Conterranei, p. t. Synæci sui  
suavisissimi gratulab. f.*

**ERHARDUS WEIGELIUS,**  
Artium Architect. Director Sup.  
Mathem. P. P. Alumn. In-  
spector.

Wie



a. 3!

**W**ie hoch durch steten Fleiß wir in der  
Kunst gestiegen;  
Was Arbeits-volle Müh uns hat zu  
Wege bracht/  
Dasselbe soll durchaus nicht gank ver-  
borgen liegen/  
Es muß der klugen Welt einst werden  
kund gemacht.  
Drum/ **W**erther/ loben wir Sein rühm-  
liches Beginnen/  
Daß Er durch diese Schrift der wohl-  
gelehrten Welt  
Wil zeigen Seinen Fleiß: Und zwar/ daß  
Er hierinnen  
Die **Z**ormunds-Rechte weist/  
und was ihn zugeselt/  
Rührt zweiffelsfren daher/ weil Er der  
auch genossen/  
Nachdem ein Unglücks-Fall denselben  
weggerafft/



Von dem ohn diese Ihm gar reichlich  
zugeflossen

Die Ströme voll von Glück: Er sucht/  
was denn vor Krafft

Und Nachdruck dieses Recht der  
Vormundschaften hege;

Erkennt zugleich dabey / wie viel es  
Ihm genügt.

Wir wünschen / daß Er sich hierdurch den  
Grundstein lege

Zu dem / was Er begehrt / was Ihn er-  
hält / beschützt.

Mit diesem legte gegen den Herrn Commensalem  
ihre Schuldigkeit glückwünschend ab

Die sämtliche Tischgesellschaft.

---

TUTOR defendit, Respondens falsa  
repellit,  
Respondens Tutor jure vocan-  
dus erit.

Mu.



Munera sunt horum semper commu-  
nia, nomen

Hinc commune tenent, Tutor u-  
terque cluet.

Tutorem juris præsens Tutela pro-  
babit

Te, dum Pierio disferis ore, fore.

Te vocat alma Themis Tutorem ju-  
ris & æqui;

Hinc Te Tutorem præmia digna  
manent.

*Doctissimo Dn. Respondenti Contubernali  
atq; Amico suo è paucis dilectissimo ita  
applaudere voluit*

CHRISTIANUS LEOPOLDUS,  
Jur. Stud.

---

Madrigal.

**J'**admire, cher Ami, l'effet de la science  
que cet écrit a si bien exprimé.  
de la façon que Vous vous expliqués,  
Vous ostés tout à fait le peu d'indifference  
à tous.



á tous ceux, qui de Vous ne s' étoient pas  
promis  
ce que tout á la fois Vous leur avés appris.

Voicy la pensée de ma petite Muse sur les theses  
que vous allés soutenir; Je suis obligé de  
Vous la communiquer, comme  
étant parfaitement

Monfieur

Vostre tres fidele serviteur

J. M.

Wenn ein neugepflanzter Stamm/den man fleißig  
hat gehegt/  
Nach des Gärtners stetem Wunsch nun die ersten  
Früchte trägt/

Heget und liebt er ihn vielmehr:

Ersilings= Früchte gibst auch Du/ Herkens=  
Freund/uns iho dar:

Fahre fort/ laß solche Frucht sich vermehren alle  
Jahr/

So wird unverhoffte Ehr

Dir hingegen ihre Frucht reichlich geben zu geniessen/  
Welche die ißt saure Müß wohlvergnüget kan ver=  
süßen.

Hiermit wolte seinem liebwerthen Herzens  
Freund wohlmeinend aufwarten

G. Klinger.

\* \* \*



ULB Halle  
006 609 503

3



*Mus A + P*


*VD 77*











1677, 23

URIDICA

ELA

ATA,

Opt. Maxumo,

COLLEGIO

E,

A SALANA

Spitzen

istat. Provincial.

ini submittit

RD Nothkappel/

cus,

TORUM,

l.

XVII.

E,

AUHOFL.

~~8~~

8

